

1 'Tertulliani' Carmen de Iona Propheta

CARMEN DE IONA PROPHETA*

- Post Sodomum et Gomorum viventia funera in aevum,
Et cinerum senio signata incendia poenae,
Et frustra solis oculis nascentia poma,
Et pariter facti mortem maris et salis illic,
Si quid homo est poenam mutati corpore servans,
5 Paene alios ignes superi decusserat imbris
Urbs aequi iustique viam transgressa Ninive.
Nam quis subversae menti metus? Omnia vulgo
Poenarum documenta vacant, ubi possidet error.
At bonus et nostri patiens et plectere serus
10 Omnipotens dominus nullam iaculabitur iram,
Ni prius admoneat durataque pectora pulset,
Praesagos agitans augusta mente prophetas.
Namque Ninivitem meritis mandarat Ionan
Praefari exitium dominus; sed conscius ille
15 Parcere subiectis et debita cedere poenae
Supplicibus, facilemque boni, cessabat obire,
Ne vanum caneret, cessura pace minarum.
Mox fuga consilium, si qua est tamen ista facultas,
Evitare deum dominique evadere dextram,
20 Quo subtertoto trepidans compescitur orbis.
At ratio est quod agit sancto de corde prophetes?
Littoris in labio portu celeberrima fido
Urbs oras Cilicum contra libratur Ioppe.
Inde igitur Tarsos properus rate poscit Ionas,
25 Eiusdem per signa dei; nec denique mirum,
Si dominum in terris fugiens invenit in undis.
Parvula nam subito maculaverat aera nubes
Vellere sulphureo, de semine concita venti,
Paulatimque globum pariens cum sole cohaesit,
30 Deceptumque diem caliginis agmine clusit.
Fit speculum caeli pelagus, niger ambitus undas
Inficit, in tenebras ruit aether et mare surgit.
Nec quicquam medium est, fluctus dum nubila tangunt,
Gloria ventorum quos omnes turbine miscet.
35 Diversus furor in profugum frendebat Ionan.
Una ratis certamen erat caeloque fretoque,
Tunditur hinc illinc, tremit omnis silva sub ictu
Fluctifrago, subter concussae spina carinae
Palpitat, antennae stridens labor horret ab alto,
40 Ipsa etiam infringi dubitans inflectitur arbor.
Nauticus interea genitus clamor omnia temptat
Pro rate proque anima, spiras mandare morantes
Oblaqueare mithram, clavorum stringere nisus,
Vel reluctantes impellere pectore gyros.
45 Pars maris interni puteum gravem odore vicissim
Egrege rapiunt. Tum merces atque onus omne
Praecipitant, certantque pericula vincere damnis.
Sunt miserae voces ad singula fragmina ponti,
Expanduntque manus nullorum ad numina divum,
50 Quos maris et caeli vis non timet, haud minus illos
Puppibus abstrusos irato turbine mergens.

- Nescius haec reus ipse cavo sub fornice puppis
 Sternentem inflata resonabat nare soporem,
 55 Iam tunc in somno domini formando figuram.
 Hunc simul undisecae qui cogit munia prorae,
 Pace soporatum placida, requiete superbum
 Institit impulsans: Quid, ait, discrimine in isto
 Somnia nare canis? tantoque in turbine portum
 60 Solus habes? en unda operit, spes unica divum est.
 Tu quoque, quisque tibi deus est, dic vota precesque
 Indigetans patrium supplex inflectito numen.
 Exin quis culpa propior, quis causa procellae,
 Discere sorte placet, nec sors mentitur Ionan.
 65 Tunc rogitant, quis, et unde hominum, quis denique rerum,
 Quo populo, qua sede cluis? famulum ille fatetur
 Praetimidumque dei, qui caelum sustulit alte,
 Qui terram posuit, qui totum corpore fudit,
 Ipsius sese profugum causasque revelat.
 70 Diriguere metu. Quid nos igitur tibi culpa?
 Quid fore nunc? quonam placabimus aequora facto?
 Namque magis multoque magis freta saeva tumbant.
 Tunc domini vates ingesta spiritus infit:
 En ego tempestas, ego tota insania mundi,
 75 In me, inquit, vobis aether ruit et mare surgit,
 In me terra procul, mors proxima, nulla dei spes.
 Quin date praecipitem causam, navemque levantes
 Unum onus hoc magnum pelago iactate volentem.
 Ast isti frustra nituntur vertere cursum
 80 In reditum, nec clavus enim torquere sinebat,
 Dura nec antennae mutari libra volebat.
 Postremo ad dominum: Ne nos in mortis hiatum,
 Unam animam propter dederis, ne sanguine iusti
 Respersisse velis, si sic tua dextera ducit ----
 85 Iamque illic imo exoriens de gurgite cetus
 Squamosum conchis, evolvens corporis agmen,
 Urgebat propius concusso marmore fluctus,
 Sponte dei praedam rapiens, quam puppis ab arce
 Provolutatam limosis faucibus hausit,
 90 Viventemque dapem longam properavit in alvum,
 Cumque viro caeli rabiem pelagique voravit.
 Sternitur aequoris unda, resolvitur aetheris umbra.
 Hinc fluctus, illinc flatus redduntur amici,
 Securamque viam placida signante carina
 95 Candida caeruleo florent vestigia sulco.
 Nauta at tum domino leti venerando timorem
 Sacrificat grates, tum portus intrat amicos.
 Navigat et vates alio susceptus Ionas
 Navigio fluctumque secat sub fluctibus imis,
 100 Viscera velificans, anima inspirata ferina,
 Conclusus, neque tinctus aquis, maris intimus exter,
 Inter semesas classes resolutaque putri
 Corpora digestu, sua iam tum funera discens.
 In signum sed enim domini quandoque futurus,
 105 Non erat exitii, sed mortis testis abactae.

* TERTVLLIANI CARMEN DE IONA PROPHETA *inscriptio est in cod. ms. saec. IX. bibl. Vindob. n.16. In cod. P. Pithoei, ex quo primus hoc carmen edidit Fr. Iuretus, quique una continebat carmen Sodoma, inscriptum erat DE NINIVE., quo mutalo Iuretus tilulum posuit CARMEN DE IONA ET NINIVE. Afri quidem stili proprietatis in hoc carmine, ut etiam in carmine Sodoma, satis manifestae sunt. Utrumque etiam gnarum Tertullianei*

stili auctorem prodit. Carmen DE IONA PROPHETA reddo hic ex recensione Fr. Iureti, gravioribus aliquot vulneribus de ope cod. Vindob. sanatis. Ampliorem operam in posterum differo.

- v. 7. *viam Vind. fuerant cod. Pith. forum, aut fines rescribendum proposuit Pithoeus.*
- v. 13. *augusta Vind. angusta Iur. Ibid. prophetas cod. Vindob. Et ita coniecerat Iuretus, a quo editum est ex cod. Pithoei prophetam.*
- v. 22. *rationem Vindob. ratus Iur.*
- v. 24. *Ita rescripsi ex auctor. Vindob. Iuretus edidit ora est Cilicum, contra libratur Ioppen.*
- v. 25. *poscit Vindob. scandit Iur.*
- v. 26. *eiusdemque pre signa dei Vindob. eiusdem fert acta Iur.*
- v. 30. *globum pariens Vindob. globus pariter Iur.*
- v. 34. *medium est fluctus dum nubila tangit Vindob. medios fluctus dum nubila tangunt Iur.*
- v. 39. *concussae spina carinae Vind. concussa est spina Iuret.*
- v. 40. *antennae Vind. antenna Iuret.*
- v. 42. *genitus Vindob. geminus Iur.*
- v. 46. *gravem odore Vindob. graveolere Iuret.*
- v. 47. *Ita correxi ex Vindob. Egregias rapiunt tunc merces, atque onus omnes edit. Iuretus. egregiae tunc rapiunt merces atque onus omnes cod. Pith.*
- v. 50. *nomina Vind. lumina Iur.*
- v. 52. *abstrusos Vindob. obrusos Iur.*
- v. 59. *Somnia nare canis Vindob. Somniare capit Iur.*
- v. 60. *en Vindob. nos Iur. In cod. Pith. desiderabatur vocabulum nos.*
- v. 62. *Hunc versum adieci ex cod. Vindob., in quo Indegetas pro Indigetans.*
- v. 63. *propior Vindob. propriae Iuret.*
- v. 67. *Ita Vindob. Iuret. edidit Praetimidum fidumque dei, qui sustulit altum secundum cod. Pith. in quo tamen reperiabatur Praetimidum fidumque dei qui caelum sustulit alto.*
- v. 68. *totum Vindob. totam Iuret.*
- v. 73. *Hunc versum addidi ex cod. Vindob.*
- v. 86. *conchis evolvens Vindob. e conchis evolvere Iuret.*
- v. 87. *propius Vindob. proprios Iuret.*
- v. 88. *dei Vindob. sua Iuret. In cod. Pith. aberat ea vocula.*
- v. 90. *properavit Vindob. percepit Iuret.*
- v. 96. *Nauta Vindob. Nautae Iuret.*
- v. 97. *Ita rescripsi et explevi hunc versum de cod. Vindob. Nam in eod. Pith. verba tum portus intrat amicos desiderabantur.*
- v. 102 —103. *Ita cod. Vind. Apud Iuret. legitur resolutaque corpora putri Digestu, sua iam velua * funera discens.*
- v. 105. *Ita cod. Vindob. Iuretus edidit Non erat exitio, sed caeli gloria factus.*

Text edited by F. Oehler, editio maior, vol II, pp.769-771, 1851. Transcribed by Roger Pearse, 2002. Compared with CETEDOC and fixed done 23/3/6.